



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Vtrum sola accidentia sine concursu formarum substantialum efficiant
alia accidentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

sunt actiua, sed res, cum quibus identificatur, possunt esse actiua, ut si res, quæ durat, est qualitas, aut vestimentum potest esse actiuum ratione aliquarum qualitatium. Relinquitur ergo, ut inter accidentia sola qualitas sit per se principium agendi. Et ratio reddi potest, quia in primis sola qualitas præter quantitatem habet entitatem propriam re distinctam à substantia, & ideo est propriissime forma accidentalis, & proprius motus, quod necessarium est ad rationem principij agendi, & ut propriam actiuitatem, habeat. Deinde est talis entitas, quæ consequitur formam, & ideo imitatur naturam eius, eique tribuitur, ut ei sit instrumentum aut virtus proxima agendi, præsertim cum substantialis forma per se sola, non sit sufficiens principium proximum huiusmodi actionum.

Vnde quæ
litas hanc
actiuitatem
præterit
hauriat.

VIII.

Dices: Si hæc ratio valida est, probat omnem qualitatem esse principium alicuius actionis, quia omnis qualitas consequitur formam, & consequenter imitari debet naturam eius. Præsertim, quia sicut forma substantialis est quidam actus, ita & qualitas: omnis vero actus sicut dat esse, ita & operari. Et confirmari potest, quia vnumquodque est propter suam operationem: alioqui frustra esset, ut dicitur secundo, de Cælo, capite 3. & 1. Ethicor. capite 7. Nihilominus dicendum est, neque omnes species qualitatis ab Aristotele numeratas, neque omnes qualitates sub singulis speciebus contentas esse actiua, sed solum tres primas species quoad aliquas qualitates sub eis contentas. Declaro singula: nam in primis ab vltima incipiendo, figura per se non est principium alicuius actionis: ut affirmat communis sententia, quæ sumitur ex D. Thoma 2. 2. quæstione 96. artic. 2. ad secundum, & libro 2. contra Gentes, capite 76. & 3. contra Gentes, capite 105, & his locis Caietani & Ferrariorum, Idem habet Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 5. & Caietanus Thien. 4. de Cælo, cap. vltimo, & sumitur ex Aristotele 12. Metaph. capite 3. textu 14. & 6. Ethic. capite 4. & 2. Phys. text. 2. quibus locis ait, arte facta, ut sic non habere principium motus vel actionis. Huius ratio alia non est, nisi quia forma, quæ fit per artem, solum est figura, quæ non est principium agendi. Hinc etiam D. Augustinus 10. libro de Ciuitate, capite 9. & in eorum confutat errorem, qui figuris seu imaginibus astronomiis vim aliquam agendi inesse putabant, inde demonstrans omnia illa heri pacto, & virtute demonum. Ratio autem est quia figura, ut sumitur etiam ex Aristotele, libro primo, Phys. capite 5. textu 46. nihil rei addit, nisi quædam compositionem, aut ordinem partium, ex quo confurgit modus quidam varietatis, qui est figura, & ideo non potest esse principium per se agendi, tum, quia tantum est quidam modus, tum etiam, quia est modus quantitatis, & proprietates consequens illam. Vnde, cum quantitas per se actiua non sit, neque figura esse potest. Et confirmatur tandem, quia nihil est, quod figura per se faciat, quia vna figura non potest aliam similes efficiere: neque enim statua facit statuam, neque qualitatem aliquam, vel quidpiam simile facere potest.

IX.

Obiectio.

Dices: Figura saltem ad motum localem multum deferuit acuta incisioni, circularis circulari motui, propter quod Albertus 4. de Cælo, in fine significat, figuram acutam esse vim agendi motum, vel saltem illam cum aliis conditionibus, scilicet, grauitate, & duritie componere illam potentiam, & idem sentit Durandus in 1. distinctio. 45. quæstione 2. num. 8. vbi etiam addit, figuram sigilli esse per se principium similes figuræ impressæ in cera. Respondetur tamen huiusmodi figuras solum esse dispositiones ex parte instrumenti, aut corporis, ut facilius tali modo moueatur, vel moueat, vel quia ipsum minus resistit, et ab artifice mouetur, ut in motu spheræ, vel, quia ei minus resistitur, ut in motu incisionis: nam quod instrumentum est acutius, et pauciores partes con-

Soluitur.

tingit, & ideo minorem resistentiam inuenit. E contrario, quando incisioni fit sine motu corporis scindentis per motum alterius, ut in flumine, ideo acuta figura est dispositio ad illam scissionem, quia deseruit, ut facilius resistat aquæ fluenti, et quod per pauciores partes recte attingit rem acutâ, & ita minor impetum iniprimat. Et ita etiam in figura sigilli, quia quædam partes sunt acutiores aliis, & quædam prominentes, aliæ quasi concauæ, ideo facilius scindunt aut deprimunt quædam partes cære, quam alias, & inde confurgit figura, non quia vna sit per se principium alterius, sed quia motus secundum locum quibuscumque partibus, confurgit talis figura Cuius etiam signum est, quia veluti contrario modo confurgit figura in cera, quam erat in sigillo. Partes enim, quæ eminebant in sigillo, sunt quasi concauæ in sigillato, & e conuerso.

In cæteris autem tribus speciebus qualitatis repertiuntur qualitates actiua. Nam habitus potestiarum sunt principia eliciendi actus, & e conuerso actus (qui in prima etiam specie collocantur, & dispositiones sunt) habitus interdum efficiunt. Potentia vero est actiua, & actiuum & habituum Passibiles etiam qualitates, actiua sunt, ut de calore constat. In omnibus autem his speciebus reperiuntur aliquæ qualitates, quæ non sunt principia agendi, ut in specie habitus, ille qui proxime ordinatur ad aliquod esse, & non ad operari, in quo ordine solet sanitas numerari, quæ satis improprie dicitur habitus. Vnde in naturalibus fortasse nullus est exemplum, quod immerito aliqui adhibent de speciebus intelligibilibus: nam illæ vera sunt principia agendi. In supernaturalibus vero commune exemplum est de gratia, quæ est in essentia animæ: sed certius est de charactere, de quo alibi. In specie item dispositionis sunt multi actus, qui nihil agunt, quando, scilicet, potentia, vel non indiget habitu, ut in visione, vel non tali, qui possit per actus effici, ut in actibus supernaturalibus. Multi etiam actus non sunt actiui aliorum actuum, neque habitus, ut patet in omnibus sensibus, & in fruitione Dei, & similibus. Potentia item distingui solet in actiuam & passiuam, inter quas passiuam ut sic non est principium agendi, quamquam incertum est, an detur aliqua qualitas, quæ sit pura potentia passiuam, ut suo loco videbimus, vbi etiam tractabimus, an potentia resistendi sit potentia actiua, an passiuam. Inter passibiles etiam qualitates multe sunt non actiua suarum similibus, ut albedo & colores alij, quamuis efficiant intentionales species. Aliæ vero vtrumque efficiunt, ut lux vel calor, &c. Difficile autem est reddere rationem huius varietatis. Generalis esse videtur, quia substantia ad suam consummatam perfectionem indiget tota hac varietate, & ideo diuersas qualitates à natura recepit, quæ pro sua diuersitate ad diuersos effectus ordinantur: vnde quædam instituta sunt ad agendum, aliæ ad informandam vel ornandam substantiam, & quali vltimo expellendam capacitatem illius. Quæ omnia pertinent ad munus formæ, & ideo qualitates, quæ non sunt actiua, neque sunt ociosæ, neque carent aliqua participatione vel convenientia cum forma. Et ita soluta est dubitandi ratio. In particulari vero exponere, quæ qualitates sint huius vel illius rationis, ad hunc locum non spectat.

SECTIO V.

Vtrum sola accidentia sine consensu formarum substantialium efficiant alia accidentia.



Communis modus loquendi in hac materia est, accidentalem formam esse principium proximum: substantialem vero esse principale principium omnium actionum suppositi, etiam accidentium.

sum. In quo autem consistat hæc ratio principalis principii, vel quis sit influxus eius, aut doctores id nõ declarant, vel si aliquid obiter dicunt, insinuat in hoc solum consistere, quod forma est radix & principium facultatis accidentalis, quæ illi data est à natura, ut ei sit proximum principium ad eliciendam actionem. In ipso autem exercitio actionis accidentalis non creditur substantialis forma habere influxum proximum & actualem. Et ratio reddi potest, tum ex illo principio, quod substantia creata nõ potest esse principium proximum accidentis, tum etiam, quia ad efficiendum accidens, sufficiens principium est aliud accidens.

II. Nihilominus censeo distinctione esse utendum, nam inter has actiones quædam sunt vitales, aliæ vero minime. De prioribus dicendum videtur non solum facultatem accidentalem, sed etiam ipsam animam per substantiam suam in illas proximè in suo ordine influere. Hanc conclusionem videtur suadere experientia: nam hæc actiones vitales tam intimo modo sunt, ut ab ipso primo principio vitæ, quod est anima actualiter procedere videantur: unde fit, ut licet oculus præsentem habeat imaginem, & ab illa recipiat speciem, si anima non attendat, nõ videat. Nec refert, si quis dicat id provenire ex distractione imaginationis, aut sensus communis, tum quia idẽ argumentum faciam de sensu communi & imaginatione. Quod si dicatur, tunc speciem sensibilem non transcendere sensum externum, inde sumemus argumentum contra priorem equalionem. Nam, si species obiecti sensibilis præsentis, & immutantis sensum externum, non perveniat ad sensum internum, quando anima non attendit, ideo est, quia species exterioris sensus non communicatur interiori sensui, nisi medio actu sensus exterioris. Ex quo fit, ut exterior sensus prius natura sentiat, quam interior cooperetur: nam hæc cooperatio videtur subsequi operationem sensus exterioris: ergo ratio cur in prædicto casu sensus exterior non sentiat, non provenit ex interiori sensu, sed potius ideo interior sensus non tangitur specie illius obiecti, quia sensus exterior nõ percipit illud. Alia ergo causa quærenda est cur tunc sensus exterior non efficiat suum actum, quæ non videtur esse alia, nisi, quia tunc anima nõ influit, nec cooperatur illi. Dices, rationem esse, quia non cooperatur, non quidem per suam substantiam, sed per spiritus animales, qui necessarii sunt ad sensum & motum. Sed licet verum sit, hos spiritus esse necessarios, tamen hoc ipsum confirmat argumentum & experientiam adductam. Nam ad hos actus vitales requiritur non solum proxima facultas, sed concursus etiam spirituum, qui non casu illuc conflunt, sed virtute alicuius facultatis ministrantis illos spiritus ad illum actum: ergo necesse est, ut sit aliquod commune principium actu vtrius illis duabus facultatibus, & ex naturali inclinatione, vel sympathia ordinans actionem vnius ad actum alterius.

III. Præterea hoc confirmat alia experientia, qua supra probabamus esse in homine vnam tantum animam, quia nimirum ex nimia attentione ad opus vnius facultatis impeditur in opere alterius, ut si nimis attentè aliquid homo inspicit, non audiet loquentem, & ne id tribuatur defectui spirituum, etiam attentio intellectus impedit operationem sensus, & quo est altior & perfectior, eo plus minuit etiã phantasiæ motum, aut representationem, & (quod magis est) etiam opera nutritiæ partis impedit, vel suspendit. Si autem vnaquæque facultas sola per se ipsam haberet suam operationem, nulla esset ratio, cur vnius operatio impediret operationem alterius, nam multiplicatis virtutibus, si vna ab altera non pendet, neque ambigebat vno tertio, cuius virtus, dum vtrique applicatur, minuat in singulis, nihil est cur earum operationes non possint simul multiplicari, & exerceri quæ perfectè. Præterea sumitur à contrario o-

ptimum argumentum ex cõnexionione operationum: nam dum intellectus intelligit, voluntas excitatur ad amandum, &c. hoc autem ideo est, quia eadem anima per vtramque potentiam actu operatur: nam solà veluti habitualis radicatio, seu remota dimanatio ab eadem anima, non esset satis ad hanc actualem causalitatem seu motionem, & excitationem, si vnaquæque operatio à sua sola potentia actualiter prodiret sine cõnexionione in aliquo communi principio. Et inde etiam oritur dependentia inter appetitum vitæ & cognitionem, ut nihil possit esse amatum, nisi sit præcognitum. Ratio autem à priori sumi potest ex proprio modo operationis vitalis, quæ requirit hanc intimam cõnexionem cum suo principali principio formali, ut modo consentaneo ad naturam suam fieri possit, & ut suum principium: vel suppositum vitali modo efficere valeat: quantum enim experientia assequi possumus, in hoc consistit actualis vita, & primaria differentia viuientium à non viuientibus. Et confirmatur: nam ob hanc causam censent omnes visum separatim, non posse videre, seu visionem elicere, neque intellectum intelligere. Contra hanc autem sententiam possunt nonnulla obijci, quæ prudens omitto, quia vel difficilia non sunt, vel multa necessariò attingunt, quæ ad sciẽtiam de Anima spectant. Quod vero aliquis interrogare potest, ad quid nimirum sint necessariae facultates accidentales, & vitales, si forma ista etiã actu influit: ex dictis in sect. præced. habet sufficiens responsum. Forma enim est veluti vniuersale principium, potentia verò necessaria est, ut particulare magis accommodatũ, ac proprium, ut ibi latius declaratum est. Statim etiã alias leuiore obiectiones dissoluemus.

De actionibus autem accidentalibus, quæ vitales non sunt, dicendum est, posse fieri à solis accidentalibus. Hoc patet in calore, qui existens in aqua, & in quolibet alio subiecto, absque forma ignis calefacit. Similiter albedo ad efficiendam sui speciem intentionalem, non indiget superiori concursu. Item, hinc oritur ut si res habeat duas qualitates actiuas, æque possit vtriusque simul, ac alterius tantum actionem exercere, ut aqua simul frigefacit & humectat, quantum potest, &c. Denique hoc probat ratio dubitandi superius proposita, quia si perfectio effectus consideretur, ad illam communicandam sufficit virtus, & perfectio similis, vel eminentioris formæ accidentalis: ex modo autem actionis nõ requiritur illa tam intrinseca dependentia, & ideo non est cur necessaria sit. Unde obiter soluitur illa ratio, quatenus contra priorem assertionem fieri potest. Quamquam enim dubitari possit, an operatio vitæ sit perfectior in sua entitate, quam facultas, à qua procedit: nunc autem, supponendo potentiam esse perfectiorem, dicimus propter specialem modum talis operationis necessarium esse actualem influxum immediatum principii principalis. Neque repugnat hoc modo formam substantialem influere in actionem, si habeat principium accidentale, quo proximè determinetur ad illam actionem: non enim semper forma accidentalis dicitur principium proximum, quia solà illa immediatè influat: sed quia est principium determinans formam substantialem ad talem actionem. Sicut causa particularis dicitur proxima respectu primæ, non quia prima non immediatè influat, sed quia particularis est in suo genere determinans actionem.

Sed quæret aliquis circa posteriorem partem, esto non sit necessarius influxus formæ ad has actiones, an sit possibilis, & utilis, id est, an calor existens in igne iuuetur à forma ad calefaciendum: & consequenter, an cæteris paribus, vehementius calefaciat, quam existens in alio subiecto. Contra priorem etiam partem obijci potest, nam interdum videtur actio vitalis exerceri ab aliqua potentia separata ab anima, ut in semine. Ad priorem partem respondeo nullum

IV.

Accidens non vitale, non necessaria sit proxima à substantia.

V.

Ad nullum accidens non vitale productio non concurrens immutatio substantia.

Organiza-
tio an actio
vitalis.

Vide Vallo-
sum lib. 2.
s. 1. q. 1. 8.
d. cal. 6. 8.

nullum inueniri sufficiens signum illius influxus, & ideo non esse leuiter & sine fundamento asserendū. Quod etiam confirmat Eucharistiae mysterium, ubi accidentia vini & quae agunt sine influxu suae formae. Video dici posse Deum supplere illam efficientiam ab fidem mysterij: tamen ubi nulla necessitas cogit, non oportet recurrere ad diuinam causalitatem. Ad posteriorem partem probabile est, semen quoad spiritum in eo supplantatū, viuere vita vegetatiua, ad quam spectat modus ille vitalis, qui videtur esse in generatione viuientis: atque ita videtur sentire de semine Aristot. 2. de Generatione animal. cap. primo. quia habet virtutem organizandi corpus, & generandi, quod videtur opus animae vegetatiuae. Neq. ab illa sententia discrepare videtur D. Thom. 1. p. q. 118. ar. 1. ad 1. Secundo, quidquid de hoc sit, responderetur. actiones animae vegetatiuae quoad substantiam eiusdem esse rationis cum his, quae ab extrinseco principio sunt: omnes enim sunt aut motus locales, aut alterationes, veleductio formae substantialis, unde solum habent rationem actionis vitalis ex peculiari habitudine ad animam, vt ad principium coniunctū in eodem supposito se mouente. Sicut locutio hominis est actio vitalis, locutio autem angeli in corpore assumpto non est vitalis, licet sint similes in exteriori specie. Sic ergo actio seminis vt est ab illo, nō est vitalis, sed merē naturalis actio: quod autem in artificio (vt sic dicam) seu in ratione agendi seruet modum vitae, referendum est in aliud superius principium, vt tactum est supra.

SECTIO VI.

Utrum accidens sit instrumentum tantum in productione alterius accidentis.

I.



Vidam contendunt accidens dicendum esse principium tantum instrumentale. Et communiter haec opinio Diuo Thomae tribuitur, qui illam insinuat in 1. distinct. 3. quaest. 4. art. 3. ad 2. ideoq. sectatores eius frequentius illam sequuntur, hisque rationibus confirmant. Prima, quia accidens est essentialiter subordinatum substantiae in esse, & consequenter etiam in actione. Secundo, quia accidens accipit à substantia totam virtutem agendi. Neq. obstat, quod causa principalis proxima etiam accipit virtutem agendi à prima, nam causa secunda & prima sunt diuersi ordinis, & non repugnat causam principalem inferiorem accipere virtutē à causa superioris ordinis: accidens vero est in agendo eiusdem ordinis cum sua substantia, & cum ea constituit vnum proximum agens integrum, & ab ea recipit virtutem agendi: hoc autem modo accipere virtutem ab alio eiusdem ordinis, constituendo cum illo vnum proximum agens, est proprium causae instrumentalis. Tertiū, quia tale est agere, quale est esse: sed accidentis esse est substantiae, est enim accidens ens ens: ergo agere accidentis principaliter est substantiae: ergo accidentis solum est instrumentaliter. Et hoc confirmat modus loquendi Philosophorum omnium, qui attribunt omnes has actiones substantiis vt primis agentibus.

II.

Contrariam sententiam tenent frequentius alij Doctores vt videre licet in Scoto in 4. dist. 13. quaest. 3. Paludano quaest. 4. conclus. 1. Maiore quaest. 1. Egidio quodlib. 3. quaest. 1. & Theoremate 43. Ad declarandum autem fundamentum huius sententiae supponendum est, non esse hic quaestionem de causa principali vt quod, seu quae operatur, sed de principio principali quo. Constat enim priori modo suppositum esse quod operatur: si autem sumatur formaliter, vt est per se causa accidentalis actionis, accipi debet vt substantia formae accidentali, quae est principium talis actionis: sic enim dixit Aristoteles, Po-

lycetum per accidens efficere statum, artificem autem per se. Hoc ergo modo dicitur accidens causa principalis, vt principium quo, suppositū vero vt substantans accidenti vt principium quod. Et sic probatur haec opinio, quia forma accidentalis propria virtute efficit aliud accidens: sed causa principalis est, quae propria virtute operatur: ergo. Maior patet, quando calor efficit calorem, & in vniuersum vnum accidens aliud simile: vel quando nobilissimum accidens efficit ignobilissimum, vt lux calorem: tunc enim perfectio effectus non excedit perfectionem accidentis, quod est principium agendi: ergo nec virtutem eius excedit: ergo tunc accidens propria virtute est principium talis actionis. Iuxta quam rationem intelligenda est haec sententia de accidente, quando hoc modo operatur: nam si eleuetur inferius accidens ad efficiendum aliud superioris rationis, non negabitur esse instrumentum. Secunda ratio fit, quia illud est principale principium agendi, cui assimilatur effectus: sed per calefactionem vt sic effectus fit similis causae in calore: ergo calor est principale principium illius actionis. Tertia, quia calor per se separatus à substantia eadem vt, & efficacia exercet actionem suam, ita vt nō indigeat influxu substantiae, neq. alterius causae, quae illum suppleat, vt de accidentibus Eucharistiae, quantum ad actiones accidentales, omnes fatentur. Quarta, quia albedo, v.g. non efficit intentionales species vt instrumentum substantiae, cum ad illam actionem omnino per accidens substantia se habere videatur.

Haec controuersia, suppositis, quae dicta sunt in secundo dubio, solum videtur esse posse de modo loquendi, nam ad rem solum spectat, quem influxum requiratur accidens à substantia, vt suam propriam actionem perficiat. Hoc autem constituto & declarato, solum de significatione nominis controuersi potest, cum quaeritur, an dicendum sit instrumentum, vel principale principium. Itaque potentia animae ad actiones vitales, merito dici possunt instrumenta coniuncta animae, quatenus illi subordinantur sicut principali formae, vt sine actuali influxu, & quasi motione illius, suas operationes efficere non possint. quamuis alia ratione possint dici principia principalia, saltem partialia, quia scilicet virtus quam in se habent, & qua cooperantur ad effectum, est ex se proportionata & commensurata tali effectui, quia non excedit perfectionem ipsius facultatis, loquor enim de actionibus connaturalibus. Vnde etiam possunt potentia & forma comparari vt principium vniuersale & proximum: vtrumq. vero principale & sufficiens ac totale in suo ordine: tamē quia inter illa duo principalia est forma, cui subordinatur potentia, ideo haec subordinatio & dependentia nomine instrumenti significare potest.

At vero in aliis accidentibus, quae non ita pendunt in sua actione à substantiali forma, multo minor ratio instrumenti reperitur respectu talium actionum. Vnde, quod ad rem attinet, verissime existimantur principia principalia talium actionum, vt argumenta posteriori loco facta conuincunt, quia ex vi illius perfectionis solius, quam habet ex sua specie vel entitate, eliciunt tales actiones. Item, quia sola talis forma per se sufficit ad dandum supposito esse per se ac formaliter requisitum ad talem actionem, vt in aqua calida esse per se requisitum ad calefaciendum, tantum est esse calidum. Sicut ergo calor est forma per se, ac ex propria ratione dans esse calidum, ita et ipsa est principium principale calefaciendi. Neque ad hoc refert aut obstat, quod accidens sit in substantia, & propter substantiam, & à substantia, quia non agimus vnde, vel à quibus causis habet accidens virtutem agendi: faciemus enim habere illam materialiter à substantia, & finaliter propter illam, & fortasse etiam efficienter mediātē vel immediātē per diminutionem naturalem: sed agimus, an formaliter habeat in se totam virtutem sufficientem, & ne-